

11.

Gyulafehérvár, (Alba Iulia) Batthyaneum, R. I. 113., ff. 116r–119r¹

Ladislaus

(1) (f. 116r) „**Quis est hic, et laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua**”, *Eccli.* 31, (9). – Legitur II *Reg.* 12, (25), quod mater Salomonis, (f. 116v) cum natus fuit, de consilio Nathan prophete, vocavit eum Amabilem Domino. Per hunc Salomonem potest intelligi beatus Ladislaus. Salomon enim interpretatur pacificus, quia pacem habuit ad omnes, et pacem in aliis facere studuit. Sic et beatus Ladislaus pacem mentis habuit, quoad Deum per puram conscienciam et pacem temporalem facere studuit frequenter bellando cum Turcis et infidelibus regnum suum invadentibus, ut subditis suis pacem temporis posset procurare, ut sic eo quiecuis ad pacem mentis possent pervenire.

„**Fecit autem mirabilia in vita sua**” sicut patet in eius *Legenda*, et presens testatur epistola, que populo pronuncietur in hunc modum: „Beatus vir qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunie thesauris. **Quis est hic, et laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua.** Qui probatus est in illo, et perfectus inventus est, et erit illi gloria eterna. Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala et non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et elemosinas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum” (*Eccli* 31, 8–11). Pro gracia impetranda dicantur Ave Maria.

„**Quis est hic, et laudabimus eum, [fecit enim mirabilia in vita sua]**” ut supra. Multi sancti **mirabilia** fecerunt in morte sua, sed beatus Ladislaus fecit mirabilia non solum in vita, sed etiam in morte, seu post mortem.

{Inter cetera enim mirabilia vite sue legitur, quod „cum quodam tempore cum exercitu suo venisset in quamdam magnam solitudinem, ita ut nec cibum habere possent, et vidisset populum suum fame periclitari. Oravit Dominum, ut qui quondam populum Israeliticum in deserto fame perire non permisit, ut sic etiam populum Christianum perire non sineret, et ecce multitudo cervorum et bubalorum deposita cum feritate in medium exercitus veniebat. Ex quibus quilibet sumebat, quantum volebat, et sic periculo famis sue subveniebant, et Dominum in sancto suo glorificabant.”²

Post mortem etiam inter cetera mirabilia, que per eum sunt facta in illuminatione cecorum, sanacione infirmorum, in mutorum loquele restitutione, legitur, quod „cum ipse de Bohemia domum reverteretur, mortuus fuit in via, cuius corpus dum vellent ad Albam Regalem deferre unarum dierum, depositis (*f. 117r*) equis de redis, et vectoribus quiescentibus, currus unacum corpore, sine alicuius amminiculo animalis Varadinum cucurrit, quod ipsi videntes sequebantur currum et corpus Waradini honorifice locaverunt seu sepelierunt.” Multa fuerunt alia mirabilia, de quibus supersedeo ad presens.³

Magna quidem fuerunt **mirabilia** corporalia, sed maiora fuerunt spiritualia.

Mirabile certe est esse

in divitiis sine cupiditate,

in honoribus sine tumiditate,

in iniuriis sine rancorositate,

in carne sine carnalitate. Mirabile est in spinis non vulnerari, in alto non exaltari, in aqua

¹ Batthyaneum, R. I. 113: sermonarium originis Hungaricae saec. XV. – (Madas–Horváth 2008, 156–160.)

² Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 520, 5–17.

³ Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 522, 21–523, 23. Textus deletus, in margine notitia: „Ut patebit in legenda” in fine sermonis.

non prefocari, in igne non cremari.

(1.1) Primo, dico, mirabile est in divitiis esse sine cupiditate. *Eccli.* 31, (8), sicut in presenti epistola tractatur: „Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunie thesauris.” Quid prodest contra Deum aurum acquirere, si non valet a suspendio liberare? *Soph.* I, (18): „Argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos in die ire Domini.” Cave ergo avare, ne bibas in inferno, quod per avariciam sitis in mundo. Legitur in *Chronicis*, quod inimici cuiusdam principis Romani aurum buliens infundentes ori eius dixerunt: aurum sitisti, aurum bibe.⁴ Sed beatus Ladislaus post aurum non abiit per cupiditatem, sed large distribuit in elemosinas pauperis, ut „pater pupillorum et consolator orphanorum et viduarum”⁵ vocaretur. Quid enim sunt divicie aliud, nisi quedam spine mentes lacerantes et animas vulnerantes? *Luc.* 8, (14): „Quod autem in spinis cecidit, hi sunt, qui audierunt verbum, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vite euntes suffocantur, et non referunt fructum.” Quicumque igitur in hiis spinis incumbens non vulneratur in anima sua, **hic facit mirabilia in vita sua**. Bernardus: „Mirabile est ignem tangere et non uri, spinas colligere et non pungi, lapides subportare et non ledi.” Divicie ignis, spine et lapides sunt.

(1.2) 2^o mirabile esset esse in honoribus sine tumiditate. Quid enim mirabilius, quam quod homo simul superior et inferior, simul magnus et parvus, simul primus et ultimus sit. Iohannes Crisostomus: „Hoc vere magnum et mirabile est, si quis vere magnus est, et nihil de se magni sentit aut loquitur, sed omnium (f. 117v) se ultimum iudicat.” Certe ipse Iesus Christus, dum esset simul magnus et parvus, deus et servus, dives et egenus, humilitatis in se exhibuit mirabilia. *Ps.* (97, 1): „Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.” Sic beatus Ladislaus fuit magnus per seculi dignitatem, quia rex Hungarie, et parvus per humilitatem.

(1.3) 3^o mirabile esset esse in iniuriis sine rancorositate. *Sap.* 16, (17): „Quod mirabile erat in aqua, que omnia extinguebat, plus ignis valebat.” Aqua propter fluctus et pericula diversa significat adversitatem. *Ps.* (68, 2): „Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aque usque ad animam meam.” Ignis dileccionem significat. *Levi.* 6, (12): „Ignis in altari meo semper ardebit.” Mirabile utique est, quando ignis in aquis, caritas in adversis non extinguitur, sed quandoque magis accenditur, ut patet in mirabilibus. O quam validus ignis est caritas, ut per quantamcumque aquam tribulacionum non possit extinguere. *Cant.* 8, (7): „Aque multe non poterunt extinguere caritatem.” Heu Domine Deus, quam debilis ignis est, qui quandoque una gutta, id est uno verbo videtur extinguere per odium. O homo, molestatores tuos ama, tunc ignis tuus ardet in aqua, et sic poteris dicere cum *Ps.* (118, 18): „Considerabo mirabilia de lege tua.” *Glossa*: „Nichil mirabilius in mandatis, quam diligere inimicos.”⁶

(1.4) 4^o mirabile esset esse in carne sine carnalitate. Hoc figuratum est in tribus pueris, qui in fornace ardenti non fuerunt combusti *Dan.* 3. Unde cum hoc videret, Nabuchodonosor dixit *Daniel* 4, (recte: 3, 99): „Signa et mirabilia aput me fecit Deus excelsus.” Anime nostre sunt quasi in fornace ardenti, quamdiu sunt in carne adversus spiritum concupiscente. Mirabile est in hac fornace esse, et per incontinentiam non ardere. *Isa.* 43, (2): „Cum ambulaveris in igne, non ardebit in te.” Mirabile est hoc in quolibet casto, mirabile fuit in casto Ladislao. Unde quia amatores talium sunt angeli, protectores habent angelos.

Talia, karissimi, – ut predictum est – mirabilia non corporalia, sed spiritualia requirit Deus. Augustinus: „Virtutes et mirabilia facere non omnibus datum est. Iuste autem et caste vivere et caritatem cum omnibus custodire cum Dei adiutorio omnibus preceptum est.”⁷ Que omnia beatus Ladislaus perfecte conservavit, (f. 118r) et ut virtutes ispius melius cognoscamus, historiam eius breviter prosequimur in hunc modum.

⁴ Petrus Comestor: *Historia scholastica ad II Mcc*, c. 11. – PL 198 1530A.

⁵ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 12–13.

⁶ Gerhohus Reicherspergensis, *Expositio in Psalmos*. – PL 194, 743A.

⁷ Augustinus (Auctor incertus), *Sermones suppositi*, Sermo 225. – PL 39, 2161.

Hystoria

Beatus rex Ladislaus, cuius festum commemorando sancta mater Ecclesia celebrat, fuit natione Hungarus, filius Bele ducis, filii Calvi Ladislai, patruelis regis sancti Stephani. Fuit insuper christiane fidei cultor eximius, et pura mentis devocione Christo servire studuit ... × (f. 119r) ... Hec autem scripta sunt, ut legentes et audientes per intercessionem piissimi regis Ladislai sic transeant per bona temporalia, quod eterna consequantur gaudia prestante Domino Iesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.⁸

⁸ Cf. *Legenda minor* s. Ladislai regis.